

exercemus consuetudinem, verum etiam ad beate retributionis mercedem talia nobis facta credimus profutura. Quapropter notum sit omnium^a fidelium nostrorum industrie presentium scilicet et futurorum, quia^b vir venerabilis Hildegimus Catholanensis ecclesie episcopus qui est rector Halberstadensis ecclesie^b que est constructa in honore^c Christi suique prothomartiris Stephani super fluvium Holtemna in pago Hartingowe, cuius parrochia pii patris nostri Karoli imperatoris augusti statuto^d determinata est hiis pagis Darlingowe et Northuringowe et Belkesheim, Hartingowe, Suavia et Hasigowe, veniens ad nos detulit nobis emunitates < sancti >^e genitoris nostri < pie semper venerandi >^e, in quibus continebatur, quomodo ipsam sedem sub plenissima defensione et emunitatis tuitione semper habuisset. Pro firmitatis namque studio petiit^f nos idem prefatus episcopus, ut ei denuo similia pro mercedis nostre augmento concedere et confirmare deberemus. Cuius petitioni pro divino amore assensimus et ita in omnibus, quia iuste et rationabiliter petiit, per hanc nostram auctoritatem studuimus confirmare. Precipientes ergo iubemus, ut nullus iudex publicus neque quislibet ex iudiciaria potestate seu aliquis ex fidelibus sanote dei ecclesie ac nostris in ecclesias aut loca vel agros seu reliquas possessiones, quas moderno tempore iuste et rationabiliter possidere videtur in quibuslibet pagis et territoriis sitas vel quidquid deinceps eciam propter amorem divinum collatum fuerit^g, ad causas audiendas vel freda^h exigenda aut mansiones vel paratas faciendas aut homines ipsius ecclesie tam ingenuos quam servos iniuste distringendos aut ullas redibitiones vel illicitasⁱ occasiones requirendas ullo umquam tempore ingredi aut exactare presumat. < Insuper etiam prescriptorum incolas omnes pagorum > prefate ecclesie < decimas suas fideliter persolvere > pro divino amore < iubemus et donamus >^k, ut omnibus^l temporibus in alimoniam^m pauperum et stipendia servorum dei ibidem deo famulantium proficiantⁿ in augmentum, quatenus ipsis servis dei, qui ibidem deo famulari videntur, pro nobis et coniuge proleque nostra et pro stabilitate tocus imperii nostri a deo nobis concessi atque conservandi iugiter domini misericordiam exorare delectet. Predictam vero

a) omni b) Hildegimus Catholanensis ecclesie Halberstadensis episcopus venerabilis *statt* vir — ecclesie c) honorem d) statuta et determinata
 e) *statt* domni et genitoris nostri Karoli piissimi augusti
 f) petiit g) est et ad; fuerit *M.*² 702 h) feoda *Hs.* 1, feuda *Hs.* 2, 3
 i) villicatus k) vgl. o. S. 333 N. 3 l) perennibus *M.*² 536, 702
 m) *statt* alimonia, so *M.*² 536, 702 n) *statt* proficiat, so *M.*² 536, 702.